

crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.

110. *De eo, quod est plus vel minus. De expromissore alienæ rei. De pupillo. De verbis non conjunctis. De mulieribus.* — In eo, quod plus sit, semper inest et minus. — Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi sit cum satisfactione. — Pupillus pati posse non intelligitur. — Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. — Mulieribus tunc succurrendum est, cum defendantur, non ut facilius calumnientur.

111. *De pupillo. De hærede, de actionibus pœnalibus.* — Pupillum, qui proximus pœberlati sit capacem esse et furandi, et injuriæ faciendæ. — In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112. *De actione non competente. De exceptione.* — Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113. *De toto, et parte.* — In toto et pars continetur.

114. *De obscuris.* — In obscuris inspicere solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

115. *Qui videtur cepisse, seu accepisse.* — Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. — Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoverti.

116. *De consensu, vi, metu. De eo, qui jus publicum sequitur. De consensu, et errore.* — Nihil consensu tam contrarium est, qui bonæ fidei judicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare contra bonos mores est. — Non capitur, qui jus publicum sequitur. — Non videntur, qui errant, consentire.

117. *De bonorum possessore.* — Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet.

118. *De usucapione, et possessione.* — Qui in servitute est, usucapere non potest: nam cum possideatur, possidere non videtur.

119. *De alienatione.* — Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

120. *De hærede.* — Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit.

121. *De eo, qui non facit, quod facere debet, vel facit, quod facere non debet.* — Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, qui non facit. Et qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

122. *De libertate.* — Libertas omnibus rebus favorabilior est.

123. *An quis pro alio lege agere possit. De temporaria permutazione.* — Nemo alieno nomine lege agere potest. — Temporaria permutatio jus provinciæ non innovat.

124. *De muto, surdo, furioso.* — Ubi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem respondere potest. — Furiosus absentis loco est: et ita Pomponius libro primo *Epistolarum* scribit.

125. *De actore, et reo.* — Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.

126. *De eo, qui pretium numeravit. De acquisitione liberti. De petitore, et possessore.* — Nemo prædo est, qui pretium numeravit. — Locupletior non est factus, qui liberum acquisierit. — Cum de lucro duorum quæretur, melior est causa possidentis.

127. *De hærede convento in id, quod ad eum pervenit.* — Cum prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit: sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

128. *De petitore, et possessore. De successoribus.* — In pari causa, possessor potior haberi debet. — Hi qui in universum jus succedant, hæredis loco habentur.

129. *De eo, qui suum recipit. De principali et accessorio.* — Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. — Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

130. *De concurrentibus actionibus.* — Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

131. *De eo, qui dolo desiit possidere.* — Qui dolo desiit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132. *De imperitia.* — Imperitia culpæ adnumeratur.

133. *De servis.* — Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.

134. *Quomodo creditores fraudantur. De delicto.* — Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore, sed cum quid de bonis dimittitur. — Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135. *De his, quæ dari non possunt, vel in rerum natura non sunt.* — Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

136. *De bona fide possidentis, et de veritate.* — Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.

137. Qui auctore iudice comparavit, bonæ fidei possessor est.

138. *De aditione cum tempore mortis continuanda. De aestimatione delicti.* — Omnis hæradatur, s tea pomvis quaeditas, tamen, cum tempore mortis continuatur. — Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti aestimatio.

139. *De actionibus perpetuandis. De eo, quod auferri potest.* — Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio, salvæ permanent. — Non videtur perfecte cujusque id esse, quod ex causa auferri potest.

140. *De absentia reipublicæ causa.* — Absentia ejus, qui reipublicæ causa abest neque ei, neque alii damnosa esse debet.

141. *De jure singulari. De hæredibus.* — Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. — Uni duo pro solido hæredes esse non possunt.

142. *De eo, qui tacet.* — Qui tacet, non utique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.

143. *De contrahentibus, et eorum successoribus.* — Quod ipsis qui contraxerunt, obstat; et successoribus eorum obstat.

144. *De licito et honesto. De tempore in stipulationibus spectando.* — Non omne, quod licet, honestum est. — In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145. *An quis fraudari dicatur.* — Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, et consentiunt.

146. *De eo, quod quis egit ante libertatem.* — Quod quis, dum servus est, egit, proficere libero facto non potest.

147. *De generalibus et specialibus.* — Semper specialia generalibus insunt.

148. *De eo, cujus effectus omnibus prodest.* — Cujus effectus omnibus prodest, ejus et partes ad omnes pertinent.

149. *De lucro ex persona alterius.* — Ex qua persona quis lucrurus capit, ejus factum præstare debet.

150. *De eo, qui possidet, vel habet: aut dolo desiit possidere, vel habere.* — Parem esse canonem optidioritet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quominus possideret, vel haberet.

151. *De damno.* — Nemo damnum acit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152. *De vi. De mandato. De ratihabitione. De hærede.* — Hoc jure utimur, ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis privata crimen indicat. — Dejjicit, et qui mandat. — In maleficio ratihabitione mandato comparatur. — In contractibus, quibus doli præstatio vel bona fides inest, hæres in solidum tenetur.

153. *De obligatione, liberatione, acquisitione, amissione, et possessione.* — Fere, quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessio acquiri, nisi animo et corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum.

154. *De petitore, et possessore. De dolo. De pœna.* — Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa, sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori, Aut si rei quoque in ea re dolo actum sit. — Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

155. *Cui factum nocet. De eo, qui jure suo utitur. De causis pœnalibus.* — Factum cuique suum, non adversario nocere debet. — Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, et ordinaria actione experitur. — In pœnalibus causis benignius interpretandum est.

156. *Invitum non defendere. De actione, et exceptione. De eo, qui in alterius locum successit. De auctore, et emptore. De invito.* — Invitus nemo rem cogitur defendere. — Cui damno actiones, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit. — Cum quis in alii locum successerit, non est æquum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in ejus locum successit. — Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. — Quod cuique pro eo præstatur, invito non tribuitur.

157. *De servo. De eo, qui dolo fecit, quominus haberet. De successoribus.* — Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt (veluti tutoribus et curatoribus) obtemperaverint. — Semper, qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. — In contractibus successores ex dolo eorum, (quibus succederunt) non tantum in id,

quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua hæres est.

158. *De pignore.* — Creditor, qui permittit rem venire, pignus demittit.

159. *Differentia obligationis, et domini.* — Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse.

160. *Differentia inter vendere, et vendenti consentire.* De eo, quod fit per majorem partem. De jure legatarii. — Aliud est vendere, aliud vendenti consentire. — Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem. — Absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, quam hæredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

161. *De eo, per quem factum est, quominus conditio impleatur.* — In jure civili receptum est, quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, et legata, et ad hæredum institutiones perditur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret.

162. *De receptis propter necessitatem.* — Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163. *De donatione, venditione, concessionem.* — Cujus est donandi, eidem et vendendi, et concedendi jus est.

164. *De hæredibus, et judiciis pœnalibus.* — Pœnalia judicia, semel accepta, in hæredes transmitti possunt.

165. *De eo, qui alienat, vel alienanti consentit.* — Cum quis possit alienare, poterit et consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

166. *De defensore rei alienæ.* — Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167. *De his, quæ accipientis non fiunt. De jussu judicis.* — Non videntur data, quæ et tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. — Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

168. *De obscuris.* — Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

169. *De damno. De eo, quod pendet.* — Is damnum dat, qui jubet dare; ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. — Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

170. *De facto a judice.* — Factum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.

171. *De obligatione.* — Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit.

172. *De ambiguis.* — In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva auctori sit.

173. *De his, qui condemnantur in id, quod facere possunt. De restitutione. De mora. De eo, qui petit, quod redditurus est.* — In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed et ipsarum ratio habenda est, ne egeant. — Cum verbum *Restituas* lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. — Unicuique sua mora nocet: quod et in duobus reis promittendi observatur. — Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174. *Posse. De repudiatione.* — Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. — Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

175. *De servis. De eo, qui in jus alterius succedit.* — In his, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest. — Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.

176. *Ne singulis concedatur, quod per magistratum publice fieri potest. De libertate, et necessitudine.* — Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. — Infinita æstimatio est libertatis, et necessitudinis.

177. *De eo, qui in jus alterius succedit. De ignorantia.* — Qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet. — Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178. *De principali et accessorio.* — Cum principalis causa non consistat plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

179. *De obscura voluntate manumittentis.* —

In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.

180. *De eo, qui jussu alterius solvit.* — Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181. *Si nemo adierit ex testamento.* — Si nemo subiit hæreditatem, omnis vis testamenti solvitur.

182. *De eo, quod nullius esse potest.* — Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

183. *De solemnibus non facile mutandis. De æquitate.* — Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen, ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

184. *De vano timore.* — Vani timoris justa excusatio non est.

185. *De impossibilibus.* — Impossibilium nulla obligatio est.

186. *Quando peti potest.* — Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus, obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.

187. *De eo, qui uxorem prægnantem reliquit.* — Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188. *Si testator pugnantia jusserit. De impossibilibus.* — Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. — Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

189. *De pupillo, et auctoritate tutoris.* — Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi adposita tutoris auctoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.

190. *De evictione.* — Quod evincitur, in bonis non est.

191. *De beneficio principis.* — Neratius consultus, an, quod beneficium dare se, quasi viventi, Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur? Respondit, non videri sibi principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse.

192. *De hæredibus et obligatione individua. De re dubia.* — Ea, quæ in partes dividi non possunt, solida a singulis hæredibus debentur. — In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est quam tutius.

193. *De aditione cum tempore mortis conti-*

VII.

monda. — Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis hæredes extitissent.

194. *De hæredibus hæredum.* — Qui per successionem, quamvis longissimam, defuncto hæredes constiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quam qui principaliter hæredes existunt.

195. *De expressis et tacitis.* — Expressa nocent, non expressa non nocent.

196. *De privilegiis.* — Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: et ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.

197. *De conjunctionibus. De licito et honesto.* — Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit.

198. *De dolo tutoris.* — Neque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo est, sive non est.

199. *De eo, qui imperio magistratus non paruit.* — Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.

200. *De minori iniquitate eligenda.* — Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201. *De his, quæ ex testamento proficiscuntur.* — Omnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

202. *Definitiones esse periculosas.* — Omnis definitio in jure civili periculosa est; parum est enim, ut non subverti possit.

203. *De damno et culpa.* — Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

204. *De actione.* — Minus est actionem habere, quam rem.

205. *De his, quæ a nobis abire possunt.* — Plerumque fit, ut etiam ea, quæ a nobis abire possint, proinde in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: et ideo, quod fisco obligamus, et vindicare interdum, et alienare, et servitutem in prædio imponere possumus.

206. *Ne quis lucretur cum iactura alterius.* — Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorum.

207. *De re judicata.* — Res judicata pro veritate accipitur.

208. *Desinere habere.* — Non potest videri desuisse habere, qui nunquam habuit.
209. *De servitute.* — Servitutem mortalitati fere comparamus.
210. *De institutione.* — Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.
211. *De servo, et absentia reipublicæ causa.* — Servus reipublicæ causa abesse non potest.

INDEX ALPHABETICUS

REGULARUM

LIB. V DECRETALIUM

- Defleat peccator quia offendens in uno factus est omnium reus. pag. 16 4
- Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. 4
- Estote misericordes, etc.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo nisi ut ea facta quæ, dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietates, et similia, de quibus nobis permittitur judicare. 5
- Indignum est, et a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. 19
- Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debet facit, et ideo jam non facit. 15
- In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum. 11
- Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. 10
- Non potest esse justa pastoris excusatio, si lupus oves comedit et pastor nescit. 17
- Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam et sabbatum custodiri præceptum est, Machabæi tamen sine culpa sua in sabbato pugnant. Sic et hodie, si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur. 8
- Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. 7

INDEX ALPHABETICUS

REGULARUM

LIB. VI DECRETALIUM

- Accessorium naturam sequi congruit principalis. p. 99
- Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. 117
- Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri. 20
- Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur. 176
- Certum est quod is committit in legem, qui legis verbum complectens, contra legis nititur voluntatem. 183
- Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. 132
- Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. 123
- Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet, perinde ac si impleta fuisset. 148
- Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. 93
- Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia omnia debet admitti. 177